

De ne et non particulis.

Quod, quo altius linguarum causas atque origines usque a primis earum principiis repetimus, ubique factum animadvertere licet, vocabulorum speciem fuisse simplicissimam, eamque temporum demum cursu, forma illa simplici ad rerum notiones planius exprimendas naturali loquentium sensui atque intelligentiae non amplius satis faciente, mutatam esse, idque duobus modis, aut accessione aliena, aut coactione domestica facta, sive, ut perspicuitatis causa idem aliis verbis dicamus, vocabulis aut particula extrinsecus addita aut intrinsecus de suo crescentibus: id ipsum cum alias luculenter perspicitur, tum luculentissime in his, quarum naturam et rationem hic exposituri sumus, negandi particulis latinis. *) Quippe primis enim linguae temporibus negatio simplex erat ne vocali brevi, quae remansit in particula interrogandi et in compositis. Exempla sunt: Neque ex ne et que, neve ex ne et ve, necunde ex ne et quo unde, nefandus, nefarius ex ne et for, nefas, nefastus ex ne et fas, negligo ex ne et ligo, negotium ex ne et otium, necopinatus, necopinus ex ne et opinor, quibus in vocabulis e litteram, quae tenuis in negotium et negligo transit in mediam, a pronomine indefinito quis repetendum esse, probabile fit, si comparamus alicunde, nego ex ne et ajo? nemo ex ne et homo sive hemo, nequam juxta Gellium Noct. att. VIII., 11. ex ne et quidquam; allegat is locum Varronis lib. 9. sub finem: Ut ex non et volo nolo fit, sic ex ne et quidquam, media extrita syllaba, compositum est

*) Si quis forte me in hac re propterea non satis accurate agere dixerit, quod notissimae illius legis immemor fuerim, qua formae, antiquitus multa consonantium litterarum accumulatione et rudiores et pleniores, post, vocalitatis elegantia accedente, imminuebantur et breviores fiebant: eum monitum volo, me et id probe scivisse et vero eam, ab hac, quam supra posuimus, prorsus alienam, longe alio valere, ut ea hic possimus an debeamus supersedere.

nequam. Apud Festum nequidquam derivatur ex ne et quam: nequam, qui ne tanti quidem est. Nefrens ex ne et frendo, de porcis dicitur, qui fabam frendere nondum possunt: Varr. de re rustica II., 4. Nequeo ex ne et queo, nescio ex ne et scio, neuter ex ne et uter, neutiquam ex ne et utiquam, quod quatuor in locis apud Terentium et apud Plautum Poen. I., I., 71. nutiquam scriptum invenimus, sicut etiam apud Ciceronem Academ. quaest II., 17, 52 in versu illo trochaico: sed mihi nutiquam corconsentit cum oculorum adspectu, unde simul intelligimus, veteres eu diphthongum una syllaba pronunciassent, ita forsitan, ut vel per sonum ipsum origo vocis manifesta maneret. Nihil ex ne sive ni et hilum, unde Ennius apud Varonem de terra, in quam corpora revolvuntur, ait: Quae dedit ipsa caput neque dispendi facit hilum et Lucretius: Nec prossus vitam ducendo facimus hilum. Nolo ex ne et volo, ut legimus apud Plautum Trinum. II., II., 30: **N**e opprobra, pater, multa eveniunt homini, quae volt, quae ne volt et v. 35: **E**one multa quae ne volt eveniunt, nisi fictor malus siet. Epid. IV., II, 16: Non me istanc cogere aequom est, meam esse matrem, si ne volt. Nullus ex ne et ullus, nunquam ex ne et unquam, nusquam ex ne et usquam, nusquam ex ne et usquam.

Huic simpliciter negationi ne respondent, ut doctissimus Grimmus docet, sanscriticum na, persicum ne, slavonicum ni, polonicum nie, bohemicum ne, letticum ne, veteroborussicum ne, ne celticum et Germanorum ni sive ne. Cum hac particula invenimus composita iis, quae ex lingua latina modo addulimus, similia. Exempla sunt: nist ex ne et ist non est, nöl, nil, nelle ex ne wil, ne welle non vult, nolit, nêt ex nê wêt nescit, niton ex ne et witon nesciunt, nebbe ex ne hebbe non habeat, neth ex ne heth non habet, nê om ex ne ëom non sum, näs ex ne väs non fuit, naeron ex ne vaëron non fuerunt, nalles, nales, nals ex ni et alles sive ne ëalles omnino non, prorsus non, nie ex ni et ie nunquam, niener ex ni et iener nunquam, niba ex ni et iba nisi, näfig ex nê et hafig egenus.

Idem est Graecorum νη, cujus radicem in Alpha privativo, quod plenius sonabat αν, forsitan ανά, ut intelligimus ex ανάεδνος, ανάελπτος, quaerendam esse, ostenderunt viri doctissimi Buttmannus et Passovius. Cum hac particula privativa composita sunt: νης ex νη et ιδειν, ignarus, νηκεσος ex νη et ακεομαι, insanabilis, νηκουσος ex νη et ακουσος ignotus, νηλεγης ex νη et αλεγω curis solutus, νηλεης ex νη et αλιταινω innocens, νηνεμος ex νη et ανεμος placidus, νηπιος ex νη et επος infans, νηπυτιος ex νη et απύω infans, νησις ex νη et ισθιω jejunus, νηλευσος ex νη et λευσω, invisibilis, νηκερδης ex νη et κερδης inutilis, νηκερας ex νη et κερας cornibus carens, νηπαθης ex νη et παθος aegritudinis expers, νηπεκτος ex νη et πεκω impexus, νηπευθης ex νη et πυνθάνομαι inexploratus, νηποιος ex νη et ποιη, inultus, νηπυσος, νηποσμος alia.

Ex universa, quam supra indicavimus, in vocibus conformandis lege negatio Latinorum simplex ne vocali brevi transiit paulatim coactione domestica facta in nē vocali producta, quae particula prohibendi sensu proprio facta est. Pro nē etiam ni dixere, quod confirmatur locis a Forcellino citatis Plaut. Men. 1, 2, 1: Ni indomita imposque animi, quod viro esse odio videas, tute tibi odio habeas. Virg. Aen. III., 686. Contra jussa monent Heleni, ni teneant cursum. Cass. Hemina apud Plin. I., 32, 2. a. med. Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni polluerent. In veter. inscript. apud Gruterum p. 207., cet. 3. Dum ni minus viginti adsient. In vetere decreto apud eundem p. 629. Dum ni quem in eis viatoribus — legant. Addimus ex Cenot: quae dicuntur Pisana ed. Orell. 642. si qui privatim velint manibus ejus inferias mittere nive quis amplius uno cereo — mittat. 643. Devictis aut in fidem receptis, ne quod sacrificium publicum, neve quae supplicationes, nive convivia publica in eum diem sient. Ex sententia de finibus inter Genantes et Viturios regundis 3121: praeterea in eo agro ni quis possideto; is eum agrum nei habeto, nive fruimino. Niquis prohibeto nive quis vim facito; — neive prohibeto — Invitis eis ni quis sicut, nive pascat, nive fruatur, Plaut. Aul. IV., IV., 19. Nive adeo abstulisse vellem. — Saepissime autem commutatas esse vocales litteras e et i docet doct. Schneiderus sub v. e. Exempla sunt ex lingua graeca: ἐν in, ἔντος intus, ἀνεμος animus, πέπερι piper, Σικελία Sicilia, πλέκω plico τέγγω tingo cet. Transit porro frequenter in derivatis et compositis e vocalis in i. v. c. tremo — tremisco, egeo — indigeo, teneo — retineo, lego — diligo, tenax — pertinax, decem — undecim. Eodem modo a merx est commircium pro commercium. Apud Plautum et Terentium enico pro eneco et vice versa neglego, intellego Casin. II, IV, 5. Praecipue in lingua antiquissima invenitur saepissime e vocalis pro qua postea i ponere solebant. v. c. in inscript. ed. Orell. mon. hist. c. II, 549, exemet pro exemit, cepet pro cepit, ornavet pro ornavit, en pro in, navebos pro navibus; apud eundem mon. hist. II, 552 ploirume pro plurimi, fuet pro fuit, dedet pro dedit, hec pro hic; 558 tibe pro tibi; apud eundem in fragmentis 4609 et 4627 nise pro nisi. Apud Quintil. I, 4, 17. Menerva pro minerva, magester pro magister, leber pro liber, Fest s. v. amicitiae: amecus pro amicus, ameca pro amica. Rarius occurrit i ubi postea e, v. c. dius pro deus, unde me dius fidius, mius pro meus, sicut pro secet, cavia pro cavea cet.

Pro ni etiam scriptum esse nei, ex loco supra laudato in inscript. apud Orell. 3121 intelligi potest, ut omnino ei diptongus in fine vocabulorum prima linguae aetate occurrit, in quibus postea i. Exempla sunt apud Orell. mon. hist. C. II. 549 naveis, numei, 550 virtutei 558. Quei, gessistei, sei. 563 redieit. 566 turreis. 581 quei. In col. rostr. castreis, socieis, In S. C. d. Bacch. quei, foideratei, oinversei, virei, sibeis, vo-

beis, nisei cet. In declinatione quinta eī mox in i mox in e contrahitur. In casu genitivo probat C. Caesar e, testante Gellio N. A. 11, 14. Sed C. Caesar, inquit, in libro de analogia secundo hujus die et hujus specie dicendum putat. Ego quoque, addit, in Jugurtha Sallustii, summae fidei et reverentiae libro, die, casu patrio scriptum inveni. Verba haec ita erant: „Vix decima parte die reliqua“ Non enim puto argutiolam istam recipiendam, ut die dictum quasi ex die existimemus. Vocalis i in fine hujus casus confirmatur exemplis, quae idem affert Gellius XIV, 19, citato versu Virgilii: *Libra dies somnique pares ubi fecerit horas*. Sicut hoc in loco, pergit, dies a Virgilio scriptum esse videtur, ita in illo versu nihil dubium est, quin dii scripserit pro diei. Munera laetitiamque dii, quod imperitiores legunt dei, ab insolentia scilicet vocis istius abhorrentes. In manuscriptis Livii occurrit passim die V, XXIII, 4. VI, XXIV, 7. VII, VIII, 5. XXXVII, XXIX, 2. fide VIII, XXX, 9, spe XXI, XL, 7. Sic apud Ovidium *metam.* VII, 723: *tentamenta fide*. Horat. *Od.* III., 7, 4: *constantis juvenem fide*. Plaut. *Pseud.* IV, VII, 59. *vides jam multum die esse*. Remansit haec forma genitivi in postridie, 'quotidie i. e. *posteri, quoti diei*. Genitivi in i contracti sunt: *fami, plebi a nominativo plebes, pernicii, acii, progenii, luxurii, specii conf.* Gell. N. A. IX, 14.

Ex antiqua simplici negatione ne et unum conformata est nōn particula et propria negandi ante verba, et respondens interroganti. Quam particulam esse compositam, confirmat vocalis producta; solvendam eam autem esse in ne unum, ne un, neutrius generis signo suppresso, docet antiquum illud apud Nonium Marcellum noenum, nam unus prius oenus sonasse, intelligimus, si conferimus poena, moenia, pomoerium et punio, munio murus; diphthongus oe est germanicum ei, inde nein ex ni ein = non. Particula non ita composita expressit ab initio nihil et paulatim demum in abstractam significationem transiit. Apud Lucretium est pro hac forma nenu III, 200. At contra lapidum collectum spiclorumque Nenu potest et IV, 716. Nenu queunt rapidi contra constare leones, quod pro nēnum vel noenum positum esse videtur, nam m littera in fine vocabulorum vel obscure pronuntiarī vel omnino supprimi solebat. Confer. Schneideri gramm. I, pag. 301 seqq. Laudat inter multos alios locum Prisc. pag. 555: m obscurum in extremitate dictionum sonat, ut templum, apertum in principio, ut magnus, mediocre in mediis, ut umbra et Cornut. ap. Cassiod. pag. 228: animadverti quosdam eruditos m litteram nec ubi oporteat dicentes, nec ubi oporteat supprimentes; hoc ne fiat hinc observari poterit — igitur si duo verba jungantur, quorum prius m consonantem novissimam habeat, posterius a vocalibus incipiat, m consonans perscribitur quidem ceterum in enutiando durum et barbarum sonat. At si posterius verbum quamlibet consonan-

tem habuerit vel vocalem positam loco consonantis (i. e. j. vel. v) servat in litterae sonum. Ex quo loco simul patet, ante consonantes quoque in litteram saepius esse suppressam et ad hanc pronunciandi rationem referendum est quasi pro quamsi, vendo pro venundo, susque pro susumque, sustuli pro susumtuli; porro in inscriptionibus in finale ante consonantem verbi sequentis saepe omittitur. Confer. Orell c. II, 552 Samnio i. e. Samnium, duonoro optimo viro i. e. bonorum optimum virum. Antioco — Antiochum. 557. annoru gnatus. 558 gremiu pro gremium; huc pertinent quoque attinge pro attingam et recipie pro recipiam. Si ex antiqua forma noenum nenu, quod apud Lucretium legimus, factum est, facile fieri potuit, ut commutata vocali e in o nenu in non transiret, sicut Vossius in Etymol. sub voce non particulam hanc derivandam esse putat. Non, inquit, ab antiquo nenum, nenu vel neno, mutato e in o, ut a benus bonus, Apello — Apollo, hemo — homo; sic vice versa tonores pro tenores; apud Quintil. 1, 5, 22. amplecti pro amplecti, Voss. Etym. s. v. veto: Antiqui pro veto voto dixere, unde votitam apud Plaut. Asin. IV, I. Nolo habere illam causam et votitam dicere. Sic vostra pro vestra, adversum — adversum, pervorsum — perversum, vortex — vertex. Apud Gell. N. A. poposci pro peposci veteres dixere, ut Valerius Antius libro Annalium quadragesimo quinto scriptum reliquit: Denique Licinius tribunus plebi perduellionis ei diem dixit et comitiis diem, a. Q. Martio praetore peposcit, Memordit pro momordit apud Enn: at si me canis memorderit.

Sed omittamus haec et veniamus nunc ad usum nē et nōn particularum syntacticum. Nē proprie esse prohibendi particulam, cum subjunctivo vel imperativo jungendam, nec minus nōn esse simplicem negandi satis constat, ut omnino valeat Quintiliani illud 1, 5, 50: Qui dicat pro illo ne feceris non feceris, in idem incidat vitium, quia alterum negandi est, alterum vetandi. De hoc usu loqui velle neque propositum est nobis hoc loco neque necessarium.

Inveniuntur autem loci in libris et haud pauci quidem, quibus hae particulae inter se locum mutare videntur, ita ut altera pro altera posita sit. Utrum hoc vere sit factum, an omnino fieri potuerit, locis hujuscemodi quam plurimis adlatis, accuratius inquiremus. Hic vero nullo pacto id agimus, ut, quale sit inter utramque negationem discrimen regulae aliqua circumscriptione definire velimus; tantum efficere volumus, ut lector, quo in singulis locis utriusque negationis usus valeat, antea sensus atque animi iudicio sentiat magis atque concipiat, quam mentis et rationis lege iudicet et describat. Quod posterius, non potest nisi finita quaestione, recte fieri, quae quaestio, quo minus nunc ad justum finem perducatur, tam rei ipsius, nulli adhuc actae, difficultas, quam temporis idoneaeque suppellectilis angustiae prohibent. In uni-

versum loci duplicis sunt generis, alterum eorum, in quibus vel ipsi sensui primo aspectu discrimen certum diluceat, alterum in quibus non adeo nullo discrimine a nê positum esse videatur, ut nisi prorsus illi essent, cum Heindorfio aliisque fatendum esset, non et nec tantum per negligentiam esse scriptum, cum accuratius debuisset nê et neve. Quodsi quis, quid hoc velim, minus intelligat, ei Horatii aliquo loco, quid rei sit, brevibus demonstrabo. Conferamus Carmin. I. XI. 1 et 2. Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi Finem Dî dederint, Leuconoë; nec Babylonios Tentaris numeros. Poetam hoc in loco pro nec neu ponere potuisse, nullo modo negare volumus, hac verò particula eum non usum esse, ut sensum a priori diversum exprimeret, id pro certo sumere posse putamus. Sensus est: Cave quaeras, impium enim est sciscitari velle, qui vitae finis tibi atque mihi a Diis constitutus sit, nec tibi convenit Astrologos consulere. Vernacule locum forsitan hoc modo reddere possimus: Forſche du ja nicht, denn dieß zu wissen, ißt Sünde, welches Ende des Lebens mir, welches dir die Götter bestimmten; auch mußt du nicht Sterndeuter befragen.

Quibus duobus omnem locorum multitudinem describendi principiis poteram contentus esse, sed ne quidquam diligentiae desiderari videatur, totam rem accuratius dividam; atque hic id primum pono, quod manifestum est per se, quodque ne Romanos quidem fugisse docuerunt, cum imperativum et jussivum internoverunt, non unum esse jubendi modum. Singulos ergo locos ita disponam, prout non in iis cum imperativo vel subjunctivo, vel hortari, vel orare, vel optare, vel suadere, vel execrari cet. videbitur. — Ac fiat jam initium, ita ut, cum infinitam locorum silvam secundum scriptorum ordinem digerimus, primo loco ponamus illum Horatii ex Satyris locum lib. II., 5, 91. „Non etiam sileas,“ ad quem Heindorfius annotavit: Non hoc loco pro nê positum est. Conferat vir doctissimus A. P. 460 Epist. I., 13, 72. Ovid. art. amat. III, 129 Epist. ex Ponto I, 2, 105. — Loco Satyr. II, 5, 91: „Cautus adito; Neu desis operae, neve immoderatus abundes. Difficilem et morosum offendet garrulus. Ultro non etiam sileas,“ hortatur poeta Ullissem ex eo, qua ratione divitias sibi parare posset quaerentem, id optime per hereditates callidis artibus fieri posse respondens, ut cautus sit, ne peccet in alterutram partem, vel negligentia vel odiosa sedulitate, exemplo repetito ab anu improba Thebana, cui heres nimium institerat viventi. „Cautus adito,“ nolito esse odiosus importuno accessu, „neu desis operae,“ neu languescas in studio tuo, „neve immoderatus abundes,“ neve sis nimius in hac opera, ne transeas modum. „Difficilem et morosum offendet garrulus,“ si tu garrulus fueris, offendet senem illum, cui vix quidquam placeat. „Ultro non etiam sileas,“ simul tibi suadeo, ut in sermone pergas, donec nutus tibi dabitur; si sponte tua sileres, hoc quoque senem, quem tibi cupere vis, offendere posses. Imperativus affirmati-

vus adito est directe iubentis, neu et neve vetantis, non autem multo molliore sensu suadentis. Loco vernacule translato rem magis etiam perspicuam faciemus: Nahe mit Vorsicht! Sei weder lässig im Eifer, noch verschwend' ihn mit Uebermaß! Einen der launisch ist und mürrisch, beleidigst Du, wenn Du schwachest. Doch mußt Du von selbst auch nicht schweigen.

Eodem fere sensu non est in altero loco ab Heindorfio laudato: A. P. 457 sqq.

„Hic, dum sublimis versus ructatur et errat,
 „Si, veluti, merulis intentus, decedit, auceps,
 „In puteum foveamque, licet, Succurrite, longum
 „Clamet, Io cives! non sit, qui tollere curet.“

hortantis scilicet, ne quis invitum servare studeat, idem hoc esse, quod vim alicui inferre. Si poeta vesanus erecto in altum capite, qui sidera tantum inspiciens, inferiora contemnens incedit, in puteum vel foveam decedit, neminem adesse velim, qui eum extrahere conetur, nam prudens se dejecisse potuisset, ut Empedocles ille Agrigentinus, qui in Aetnae craterem se praecipitavit, ut, si repente evanisset, immortalis crederetur. Mag er denn: Helft mir, in einem fort, helft mir, o Bürger, rufen! Keiner wolle sich finden, der ihn herauszieht'.

Loco tertio Ep. I, 18, 72. „Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve“ non est momentis, ne libidine excaecatus reverentiam, quam debes potentioribus, omittas. Lollio poeta praecepta dat, ad quae is qui gratus et acceptus esse cupit fautoribus, se gerere debeat. Saepe videto, hortatur affirmative versibus antecedentibus, quid et cui loquaris, fugito percontatorem, qui eadem libidine prodit, qua audit, nam aures, quae semper patent, retinere non possunt commissa et vox semel edita revocari non potest. Nec minus cave, addit, ne in aedibus amici, cui venerationem debes, servorum vel ancillarum ullus libidinem tuam excitet, ne dominus pro munere ampliore hoc levio, mancipio scilicet te beare velit aut hujus muneris recusatione vel jocis, quibus de hoc munere te cruciat, molestus tibi fiat. — Addimus ex Horatio locum A. P. 189 sqq. „Neve minor, neu sit quinto productior actu Fabula, quae posci vult et spectata reponi; Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.“ Ut modus certus in peragendis fabulis observetur, legem instituit poeta, ne ultra quinque actus producerentur, neve intra pauciores se cohiberent. Haec lex observetur necesse est, si iterum in scenam reduci vult fabula. Addit autem suadens: Nec deus intersit, nec deus advocetur, nisi res tam implicita est, ut interveniente numine divino, quod nodum incidat, digna sit, neque sustineat quarta persona loqui, ne sermo permixtus ab auditoribus minus capiatur. — Ne bis eadem legantur, revocamus, quae supra ad locum Carm. I, XI, 1 adnotavimus simulque liceat sensum vernacule hoc modo exprimere: Nicht sei kürzer, nicht länger als

fünf Acte das Schauspiel, welches verlangt sein will, und geschaut wiederum auf die Bühne gebracht. Auch nicht muß dazwischen treten ein Gott, wenn nicht eine des Retters würdige Verwicklung eintrat, noch sich drängen die vierte Person zum Gespräche.

Adhortantis est nec Carm. I, IX, 13 seqq.:

„Quid sit futurum cras, fuge quaerere: et

„Quem Fors dierum cumque dabit, luero

„Adpone: nec dulces amores

„Sperne puer, neque tu choreas;

Hortatur poeta Taliarchum, ut quidquid boni quisque dies offerat, cupide amplectatur et juvenili aetate, dum liceat, gaudens, amori lusibusque indulgeat: Confer. Carm. II, VII, 17. sqq.: „Ergo obligatam redde Jovi dapem, Longaque fessum militia latus Depone sub lauro mea, nec parce cadis tibi destinatis.“ Postquam denuo belli pericula effugisti, solve mecum iterum conjunctus in praediolo meo vota, quae Jovi debes et frueri vino tibi destinato. In utroque loco ante negativum antecedit imperativus affirmativus, quod ne quis praetermittat, lectores monitos volumus, cum exspectemus, fore ut sub fine quaestionis nostrae ex iis ipsis locis, certam efficere possimus legem syntacticam, eosque locos igitur asteriscis insignes faciemus.

Apud Plantum invenimus locum: Captiv. II, III, 74. sqq. quem illi ex Horatio supra laudato A. P. 189 conferre possumus. Locus est hic: „Ne tu me ignores, cum extemplo meo e conspectu abscesseris, quom me servom in servitute pro te hic dereliqueris, Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras: Neque des operam, pro me ut hujus reducem facias filium.“ Thue ja nicht, als sei ich Dir unbekannt, wenn Du plöthlich aus meinen Augen hinweggingst, da Du mich als Sklaven im Dienst für Dich hier zurückließest. Halte Dich nicht für frei und laß' mich im Stiche, den Du als Pfand für Dich einsetztest: Auch brauchst Du Dir keine Mühe zu geben etc. Confer. Asinar. IV. I, 30 sqq.; cur locum hunc aliosque similes non perscripserimus, non est quod moneamus. — Duobus apud eundem locis Asinar. V, II, 4: „Neque divini, neque humani posthac quicquam acceduas Artemona, si hujus rei me esse mendacem inveneris,“ et Curcul. II, III sqq. „Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via“ negandi particula cum quicquam et quisquam conjungenda est et nostrum foret: Du sollst mir Nichts, nicht Etwas, gar Nichts. — Auch nicht Ewer, gar Keiner sei. Ejusmodi quoque locos ab aliis signo quodam sejungere nobis liceat.

Apud Terentium legimus Eun. I, I, 31 sq.: Et ne te afflictes — „Neque, praeterquam, quas ipse amor molestias habet, addas, „ubi iterum locum illum Horatii A. P. 189 conferre possumus. Apud eundem Hecyr. IV, II, 27. „Non tute incommodam rem, ut

quaeque est, in animum inducas pati“ non est obsecrantis. Noli, quaeso, persuasum tibi habere, hanc rem, quam tu pateris esse molestam, omnes ego causas praecidam et haec mihi sit cura maxima, ne cui vita mea obstet. Andr. V, IV, 12. „Non ita arbitrare“ non particula ad adverbium ita referenda est, ut sensus sit: Du möchtest, fönntest so etwas nicht glauben; Critonem scilicet huc venisse paratum, ut adolescentulos rerum imperitos in fraudem alliciat, bonus hic vir est. Similis locus est Catulli LXVI, 91 sq. — non verbis esse tuam me, sed potius largis effice muneribus, nicht durch Worte, sondern viel mehr durch reichliche Gaben bewirke, daß ich die deinige sei. Locus alter, quem apud Catullum invenimus LXVIII, 48:

„Notescatque magis mortuus atque magis:
 „Nec tenuem texens sublimis aranea telam,
 „Deserto in Manli nomine opus, faciat.

ad eos pertinet, in quibus affirmativus imperativus antecedit negativum, eumque conferre possumus duobus ex Horatio laudatis Carm. I, IX, 13. et Carm. II, VII, 17. Loco tertio LXVI, 80. „non — tradite, non est dissuadentis.

Apud Virgilium Bucol. Eclog. II, 34: „Nec te poeniteat calamo trivisse labellum“ nec est optantis, vel potius exspectantis, non fore ut cet. Nec te poenitebit artem fistula canendi, qua ego excelleo, a me didicisse. Omnia fecit Amyntas, ut artem hanc disceret, utinam tibi molestum non videatur a me doceri. Ejusdem fere sensus, magis vero orantis est nec Eclog. X, 17. „Nec te poeniteat pecoris, divine poeta.“ Omnes circum greges gaudent cantibus nostris et sortem nostram miseram nobiscum lugent; nec tu aut causam eorum te indignam judica aut in meo carmine sub pastoris persona exhiberi detrecta; et ipse formosus Adonis pastoris munus non contempsit. Cum loco illo priori comparamus Eclog. II, 56 seq.: „Rusticus es, Corydon, nec munera curat Alexis, Nec si muneribus certes, concedat Jolas.“ Stultus es, qui munerum, quibus puerum amatum tibi conciliare velis, mentionem fecisti, neque enim ipse munera curat et habet herum, qui multo majoribus eum corrumpere possit: Nicht möchtest er nachgeben, wenn Du cet. Confer. Georgicon. lib. II., 136 sqq. „Sed neque Medorum silvae ditissima terra, Nec pulcer Ganges atque auro turbidus Hermus Laudibus Italiae certent;“ Aber weder der Meder walddreiches Land, noch der schöne Ganges und der Goldsand führende Hermus dürfen (können) wetteifern mit Italiens Ruhm. — Optantis nec est Georgicon lib. I., 36 sq. Quidquid eris (nam te nec sperent Tartara regem, Nec tibi regnandi veniat tam tira cupido). Tu, o Caesar! adsis nobis propitius quicumque deus futurus es; nolim te diis inferis adscribi velle, nec tam dira regnandi cupido te capiat, quamvis loca infera a poetis Graecis summis laudibus celebrentur et Proserpina inde redire nolit.

Locis tribus hic infra sequentibus negandi particula non pertinet ad verbum, sed in duobus prioribus conjungenda est cum quisquam et tertio ea utitur postea ad oppositionem exprimentam inter certamen omnibus commune, quo lucusque pugnaverant, et singularare, quod Turnus inire jam animum induxerat. Georgicon lib. I, 456 sq.: — non illa quisquam me nocte per altum Ire, neque a terra moneat convellere funem: Keiner mahne mich, in jener Nacht das Meer zu befahren. Georgicon II, 315: Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor Tellurem borea rigidam spiranti moveri. Kein auch noch so kluger Rathgeber möge Dich u. Aeneid. lib. XII., 78. „Non Teucros agat in Rutulos. Teucrum arma quiescant et Rutulum. Nostro derimamus sanguine bellum.“ Turnus reginae multis cum lacrimis eum retinere studentem, ne certamine singulari cum Aenea dimicet, respondet, sibi non jam licere pugnam detrectare, et Aeneam per nuncium, Idmonem quendam certiore facit. Refer, inquit, dicta mea haud placitura ignavdo Phrygio tyranno, ut solus veniat, ambo nos sanguine nostro bellum dirimamus ceterorum armis quiescentibus. Nicht Teufner führe er gegen Rutuler; ruhen mögen der Teufner Waffen und der Rutuler. Wir wollen eet. Sensu molliori hortantis est nec Aeneid. lib. XII., 800. Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curae Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent. Cum tu ipsa scias et scire fatearis, Aeneam coelo deberi et fatis ad sidera tolli, deponas, quaeso, tandem dolorem tuum et desine toties quaerelis me fatigare; et positum est pro nec ut saepius.

- †† Hortantis nec est in locis apud Ovidium Metamorph. II., 129. „Nec tibi directos placeat via quinque per arcus. v. 135. Nec preme, nec summum molire per aethera currum.“ Animo sollicito pater filio praecepta dat, quibus pericula vitaret eumque, ut mediam teneret viam, hortatur. Vers. 138 sq. „Neu te dexterioer tortum declinet in anguem. Neve sinisterioer pressam rota ducat in aram,“ neu et neve dependent ex verbis
- †† sequentibus: inter utrumque tene, damit Dich nicht — Lib. XII., 455, Nec tu credideris, tantum, cecinisse futura Ampyciden Mopsum. — Glaube doch ja nicht, nur Künstiges habe geweiffaget Mopsus, Ampykos Sohn. Durch Mopsus Sperwurf sank der doppelgestaltete Sdites. Heroid. IV, 129. — Nec — Terruerint animos nomina vana tuos. Ep. XVII, 171: Nec quod abest, hic me tecum mirare relictam: Moribus et vitae credidit ille meae.
- †† Ep. XX, 151: „Nec mihi credideris, recitetur formula pacti“ non postulo ut meis verbis fidem habeas; perlegas pactum, quod composuimus, et mihi concedes. Trist. I, I, 5 sq.: „Nec te purpureo velent faccinia fuco: Non est conveniens luctibus ille color. Nec titulus minio, nec cedro charta notetur. Candida nec nigra cornua fronte geras.“ Tibi, inquit, libelle ire in urbem licet, quae mihi clausa est; vade, sed ornamentis careas, ut decet exules; felices ornetur, tu memor sis fortunae meae adversae, v. 11:

Nec fragili geminae poliantur pumice frontes. v. 50. Nec tibi sit lecto displicuisse pudor. v. 59 sq. „Nec te, quod venias magnam peregrinus in urbem, Ignotum populo posse venire puta.“ I tamen hortatur, i pro me tu, cui licet, adspice Romam; persuasum tibi habeas, te quamvis peregrinum, nemini esse ignotum, nam ut titulo careas, omnes te noscent colore. Lib. IV, IV, 11. „Nec tamen officium nostro tibi carmine factum, Principe tam justo, posse nocere puta.“ Tibi causa non est, cur putes, carmen, quod amicus amico dedicet, tibi esse nociturum, cum princeps noster tam justus sit, tamque civilis. Epist. ex Ponto lib. I, I, 49 sq. „Nec quia vel merui, vel sensi Principis iram, a nobis ipsum nolle putate coli. —

Prope vetantis est non lib. I, II, 105: „Non petito ut bene sit, sed uti male tutius, Du sollst nicht verlangen; ego exilium feram, quodcunque futurum sit, dummodo distet a saevo hoste. Sensus ab illo diverso non est in versibus, qui sequuntur, optantis scilicet: v. 107 sq.: Quamque dedere mihi praesentia numina vitam, Non adimat stricto squalidus ense Getes. Denique, si moriar, subeant pacatius arvum, Ossa nec a Scythica nostra premantur humo. Nec male compositos, ut scilicet exsule dignum, Bistonii cineres ungula pulset equi. Und das Leben, welches mir gnädige Götter verliehen, nehme mir nicht mit gezücktem Schwerdte ein schmutziger Gete. Zuletzt, wenn ich sterbe, mögen ruhen in friedlicher Flur die Gebeine, und nicht beschwere sie Scythische Erde; auch nicht stampfe der Huf des bistonischen Rosses die schmucklos bestattete Asche. — Multo fortius est et ne versu sequenti Et ne, si superest aliquid post funera sensus, Terreat hic manes Sarmatis umbra meas. Und vor Allem nicht, und doch ja nicht, wenn irgend Empfindung bleibt nach dem Tode, schrecke ein sarmatischer Schatten meine Manen.

Orantis nec est Heroid III, 91: „Nec tibi turpe puta, precibus succumbere nostris: Conjugis Oenides versus in arma prece est: antecedunt imperativi vince animos et cape arma. Ep. XVI, 11 sq. Parce precor fasso; nec vultu caetera duro Perlege sed formae conveniente tuae. v. 31. „Nec me crede fretum merces portante carina findere“ — Te peto — Te prius optavi, quam mihi nota fuisti. Epist. XVIII, 111. sq. „Desine molle, precor, verbis convellere pectus; Neve mihi, quam te dicis amare, noce. Sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, tueri; Nec spoliū nostri turpe pudoris habe. Fast. IV, 921 sq. „Parce, precor, scabrasque manus a messibus aufer; Neve noce cultis: posse nocere sat est: Nec teneras segetes, sed durum amplectere ferrum.“ Cum duobus his locis aliisque, quos passim invenimus, significationis aliquam differentiam inter nec et neve excogitare velle quaesitum nobis videatur et putidum, statuere nos posse putamus per solam negligentiam neve hic positum esse; sed infra ad haec redeamus. Epist.

ex ponto III, I, 89: Nec mihi succense, toties si carmine nostro, Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.

†† Precantis est Fast. I, 680: „Nec nova per gelidas herba sit usta nives, v. 687 sq.: Interea crescat scabrae robiginis expers, Nec vitio coeli palleat aegra seges. Et neque deficiat macie, neque pinguior aequo Divitiis pereat luxuriosa suis. v. 602. Nec sterilis culto surgat avena solo. Ad Heroid. VII, 75: „Nec mihi parcatur; puero parcatur Julo“ conferamus quae supra ad locum Virgil. XII, 78 adnotavimus. Nicht meiner werde geschont; es werde geschont des Knaben Julius.

†† Suadentis nec est Amor. I, VIII, 63. sq.: Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus, Despice, gypsati crimen inane pedis. Nec te decipiant veteres quinquatria cereae. v. 85, Nec, si quem falles, tu perjurare timeto. lib. II, II, 25. Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isin Quaesieris; nec tu curva theatra time. Art. amator, I, 70: Nec tibi vitetur, quae, priscis sparsa tabellis, Porticus auctoris Livia nomen habet. v. 75. sq. Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis; Cultaque Judaeo septima sacra Syro. Neu fuge linigerae Memphitica templa juvencae. (Confer. locos supra laudatos Heroid. ep. XVII, 111 et Fast. IV, 921). v. 135. Nec te nobilium fugiat certamen equorum. v. 516 sq. Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet. Nec male deformet rigidos tonsura capillos. v. 609. Non tua sub nostras veniat facundia leges. v. 620. Nec faciem, nec te † pigeat laudare capillos. v. 631. Nec timide promitte. Lib. II, 215. Nec tibi turpe puta, quamvis tibi turpe, placebit. v. 250 sq.: Nec pudor ancillas, ut quaeque erit ordine †† prima, Nec tibi sit servos demeruisse pudor. v. 311 sq.: Tantum ne pateas verbis simulator in illis, Effice; nec vultu destrue dicta tuo. v. 323: Nec tibi morosi veniant fastidia morbi. v. 335. Neve cibo prohibe, nec amari pocula succi Porrige (confer. locum jam saepius allegatum Heroid. XVII, 111) v. 391 sq.: Nec dederis munus, cog- †† nosse quod altera possit: Nec sint nequitiae tempora certa tuae. v. 507 sq. Sed neque declament medio sermone disertis. Nec sua non sanus scripta poeta legat. v. 595. Nec †† vos rivali laqueos disponite; nec vos Excipite arcana verba notata manu. v. 663: Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require Consule; Lib. III, 129 sqq: Vos quoque non caris aures onerate lapillis, Quos legit in viridi decolor Indus aqua. Nec prodite graves insuto vestibibus auro. v. 133: munditiis capimur: non sint sine lege capilli. v. 211. non tamen expositas mensa deprenat amator Pyxidas. v. 285. Nec sua perpetuo contendat ilia risu. v. 319. Nec plectrum dextra, citharam tenuisse sinistra Nesciat v. 443 sq. Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo; Nec brevis in rugas †† cingula pressa suas. Nec toga decipiat filo tenuissima. Remed. amor. 219 sqq. Nec pluvias vites; nec te peregrina morentur Sabbata; nec damnis Allia nota suis. Nec

quot transieris, sed quod tibi, quaere, supersint millia; nec, maneat ut prope, finge moras. Tempora nec numerata; nec crebro respice Romam. Sed fuge — v. 243: Nec satis esse puta discedere: lentus abesto v. 507 sq.: Nec dic blanditias, nec fac convicia postis; Nec latus in duro limine pone tuum. v. 587. Nec fuge colloquium, nec sit tibi janua clausa; Nec tenebris vultus flebilis abde tuos. Confer. vrss. 633 sq. 679. 693. sq. 713. Medicam, faciei v. 37. sq.: Nec vos graminibus, nec misto credite succo; Nec tentate nocens virus amantis equae. v. 69: Nec tu pallentes dubita torrere lupos. ††

Execrantis nec est in Ibide v. 109 sq. Nec tibi sol clarus, nec sit tibi lucida Phoebæ: Destituant oculos sidera cuncta tuos. Nec se Vulcanus, nec se tibi praebet aër. v. 115: Nec corpus quiderulo, nec mens vacet aegra dolore. v. 117. Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli. v. 123: Causaque non desit, desit tibi copia mortis v. 257: Nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervae. v. 263: Nec plus adspicias, quam quem sua filia rexit. v. 277: Nec tibi sit melior tumidis Neptunus in undis. v. 285 sq: Nec tibi subsidio sit praesens numen, ut illi, Cui nihil Hercei profuit ara Jovis. v. 299 sq.: Nec tibi fida magis misceri pocula possint, quam qui cornigero de Jove natus erat. v. 305: Nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant. v. 351 sq.: Nec tibi contingat matrona pudicior illa, qua potuit Tydeus erubuisse nuru. v. 360: Nec, nisi per crimen, sit tibi nata soror. v. 429: Nec dapis humanae subeant fastidia: quaque Parte potes, Tydeus temporis hujus eris. v. 563: Nec tibi, si quid amas, felicius Haemone cedat: v. 631: Nec tu, quam Rhesus, somno meliore fruaris. Duobus in Ibide locis occurrit neve prorsus eodem sensu: v. 483: Neve venenato levius feriaris ab angue, Quam senis Oeagri Calliopesque nurus et v. 487. Neve gradus adeas Elpenore cautius altos: Vimque feras vini, quo tulit ille modo. Conf. Heroid. — Ad locos huc usque ex Ovidii libris laudatos addimus: Metam IX, 510: Nec, nisi qua fas est germanae, frater ametur. Nur so weit es der leiblichen Schwester vergönnt ist, werde der Bruder geliebt; antecedunt verba: obscenae procul hinc discedite flammae. Metam. XIII, 29: Nec tamen haec series in causa prosit, Achivi, si mihi cum magno non est communis Achille: Nicht doch soll die Reihe der Ahnen Vortheil mir bringen im Rechtsstreit, wenn sie mir nicht mit dem gewaltigen Achilles gemeinjam. Ep. ex Ponto IV, IX, 101 sq. Nec mihi credideris; extant decreta, quibus nos laudat, et immunes publica cera facit. Tibi non persuadebo ut meis verbis credas, legas quales scripta publica, quae mea causa exstant et reperies laudes meas, Nicht mir sollst Du glauben — Conf. Trist. V, XIV, 45. Nec te credideris, quia non facis, ista moneri. Ep. ex Ponto III, VI, 12 sq. Nec scelus admittas, si consoleris amicum, mollibus et verbis aspera fata leves. Nicht ein Verbrechen sollst Du begehen, wenn Du tröstest den Freund und mit freundlichen Worten das harte Geschick ihm erleichterst. Metam. VII, 507 sq. Ne petite

- † auxilium, sed sumite, dixit, Athenae. Nec dubie vires, quas haec habet insula, vestras ducite et omnis eat rerum status iste mearum. Nicht bittet um Hülfe, sondern nehmet sie —
- † Auch sollst ihr ohne Bedenken — Lib. IX, 6: Nec dubita, cum te partu Lucina levarit, Tollere quidquid erit. Dea Isis Telethusam, moerentem et fluctuantem, utrum mariti mandatis parendum sit, an affectui materno, blande adloquitur, eique opem promittens monet: Und nicht trage Bedenken etc. Fast. II, 675 sq.: Nec tu vicino quidquam concede roganti, ne videare hominem praeposuisse Jovi. Auch nicht in Etwas gib nach dem bittenden Nachbar. Epist. ex Ponto III; I, 147 sq.: Nec factum defende meum: mala causa silenda est; Nil nisi sollicitae sint tua verba preces. Nicht sollst Du vertheidigen etc. Fast. IV, 63.
- †† Nec tibi sit mirum Grajo rem nomine dici: Itala nam tellus Graecia major erat. Du brauchst Dich nicht zu wundern.

Martialis spectaculorum liber incipit a versibus: „Barbara Pyramidum sileat miracula memphis, Assiduus jactet nec Babylona labor: Nec triviae templo moles laudentur honores, Dissimuletque Deum cornibus ara frequens. Aëre nec vacuo pendentia mausolea Laudibus immodicis Cares in astra ferant“ quibus sensus est: omnium temporum omniumque gentium opera magnificentissima non digna sunt, quae laudentur, si iis comparas amphitheatrum a Caesare extractum: Schweigen muß — und nicht darf — Confer. Epigrammat. lib. VII, LXVIII, „Non tua Parthenis nimium se praeferat illi“ Theophila tibi promissa tam erudita est, ut Academici atque Stoici philosophi discipulam eam sibi vindicent, vel ipsa Parthenis tua, quamvis musarum choro optime nota, cum ea comparanda non est. Hortantis est non apud eundem Epigr. lib. I, XXIII: Non timeat Dacus Caesaris arma puer. Nec lib. I, LXXI. Nec te detineat miri radiata Colossi, Quae Rhodium moles vincere gaudet opus.

- Rogantis est Epigr. I, XXXVI. Nec castrare velis meos libellos. Ejusdem libri LV. „Nec me, quod tibi sum novus, recuses;“ si quis apud te locus amicitiae superest, ut mihi hunc concedas, te rogo, quamvis novus tibi amicus; idem hoc fuerunt omnes,
- † qui amore tuo gaudent. lib. X, LXIV. „Contigeris regina meos si Polla libellos, Non tetrica nostros excipe fronte jocos. Oro te Polla, maxime veneranda, ut, si forte contigeris meos libellos, benigne et fronte serena eos excipias; quamvis enim Lucanus tuus, summum nostrae poëseos decus, saeva bella civilia caneret, non tamen lascivos componere versus erubuit.

- Optantis est Epigr. lib. I, LVI, non amet hanc vitam, quisquis me non amat,
- † opto: Vivat et urbanis albus in officiis. lib. IV, LXXXIII. Non tetrica nugas exigit aure meas, Sed nec post primum legat haec, summumve trientem, Sed sua cum mediis proelia Bacchus amat; hoc est: nugatoria mea carmina nec initio mensae nec in fine legantur.

tur, opto, sed media in coena, cum feryet convivii alacritas. Lib. V, XXXV. Pallida nec nigras horrescat Erotion umbras — Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi Terra gravis fueris, non fuit illa tibi. Lib. VII, XXVII. „Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce tapetis cedat, et immodici dent bona musta lacus.“ Fusco, cui libellum emendandum mittit, omnia fausta precatur: augescat silva tua Tiburtina, excisa festinct crescere, nec cedant oliveta tua olivetis Baeticis. lib. VII, LXXI: Gratus sic tibi, Paulle, sit December; Nec vani triplices, brevesque mappae, Nec thuris veniant leves selibrae.“ Non tibi donentur dona parvi momenti, mittat potius cliens aliquis dives vel pollens amicus magni pretii res. Lib. VII, XCVIII. Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet. lib. IX, LIX: Sic montana tuos semper colat umbria fontes, nec tua † Baïanas sarsina malit aquas. X, VII: Nec te barbara contumeliosi Calcatum rota conterat bubulci. X, LXXVIII: Sic inter veteres legas poetas, Nec multos mihi praeferas priores, uno sed tibi sim minor Catullo.

Apud Juvenalem invenimus locos Satir. III, 302: „Nec tamen haec tantum metuas“ Versibus antecedentibus poeta descripsit pericula pauperibus impendentia a juvenibus ebriis ac petulantibus, qui post computationes nocturnas per plateas vagari et invalidum quemque obviorum vexare, atque repugnantibus vulnera infligere solebant. Pergit v. 302: Nec tamen haec tantum metuas. — Und nicht allein diese Gefahren hast Du zu fürchten. — Satir. VI, 448 sqq.: „Non habeat matrona, tibi quae juncta recumbit, Dicendi genus, aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes: Sed quaedam ex libris et non intellegat. Nicht braucht zu kennen die Gattinn, welche mit Dir innig verbunden ruht, die verschiedenen Weisen der Rede, nicht erfahren zu sein in dialectischer Kunst, noch zu wissen alle Geschichte: Sondern Einiges muß sie auch nicht verstehen von Dem, was wir lesen in Büchern. Satir XI, 183 sq. — non foeneris ulla Mentio, nec, prima si luce †† egressa reverti nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor, nicht muß Du der Zinsen gedenken, und nicht muß die Gattin, wenn sie auch ausgeht in der Frühe des Morgens und vor Nacht nicht heimfehrt, Dich, während Du schwelgst, reizen zum Zorn.

Satir. XII, 93. „Nec suspecta tibi sint haec, Corvine.“ Transit poeta ad alterum idque primarium Satirae argumentum, adripitque occasionem sibi oblatam heredipetas perstringendi. „Und nicht möge Dir dieß Verdacht erregen Corvinus.“ Omnia, quae solvenda curavi vota pro reditu Catulli profecta sunt ex animo in amicum benevolo et vera laetitia, ipsi enim sunt tres heredes. Ejusd. satir v. 128 sq.: Vivat Pacuvius, quaeso, vel † Nestora totum: Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum exaequet; nec amet quemquam, nec ametur ab ullo! Leben möge Pacuvius so viele der Jahre als Nestor durchlebte; besigen so viel, als Nero raubte; Gold, Bergen gleich, häufen; lieben möge er Keinen, und von

Keinem werden geliebt! Satir. XIV, 197 — aut longos castrorum ferre labores Si piget, et trepidum solvunt tibi cornua ventrem cum lituis audita, pares, quod vendere possis Pluris dimidio, nec te fastidia mercis Ullius subeant ablegandae Tiberim ultra: Und nicht darf Dich Efel anwandeln. v. 203. Neu credas ponendum aliquid discriminis inter unguenta et corium; lucri bonus est odor ex re Qualibet, und damit Du nicht glaubst, irgend ein Unterschied sei zu setzen zwischen Salben und Leder, lieblich ist des Gewinnes Geruch aus jeglicher Sache. Satir. XI, 34 sq. — Buccae noscenda est mensura sui, spectandaque rebus In summis minimisque, etiam quum piscis emetur; nec mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum in oculis: Für sein Maul muß Jeder kennen das Maaß und es beachten im Großen sowohl als im Kleinen; auch wenn ein Fisch gekauft wird; und nicht muß Du verlangen die Barbe, wenn Dir nur für den Gründling im Kästchen das Geld liegt. XIV, 47. Maxima debetur puero reverentia, si quid turpe paras; nec tu pueri contemseris annos: Sed peccaturo obstat tibi filius infans. Die größte Scheu gebürt dem Knaben, wenn Du Schlechtes zu thun Dich ansiehst, und nicht muß Du des Kindes Jahre verachten; sondern dem fehlenden Vollenden trete hindernd in den Weg das unmündige Söhnchen. Duobus hisce locis pro vulgari ne nec legendum esse probare posse putamus ex multis iisque non parvi momenti codicibus, praesertim, quum in quibusdam non inveniatur, qua ex lectionis varietate ne illud a librariis receptum esse facile colligi potest; ipsi sensui nec particula quin optime conveniat, nemini dubium est; in utroque loco antecedit quasi imperativus, affirmativus.

Postremo nobis liceat locos nonnullos huc adferre, quos Zumptius laudat ad Verrin. lib. III, c. 6, 14, et primo quidem loco. Verrin III, 48 extr. Nunc, ut hoc tempore ea, quae regie, seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, praetermittam, neque eos appellem, a quibus omne frumentum eripuit cet. et Liv. XXIV, 3, 14: Locrenses brevi post legati, quum permissu Hannonis arcem intrassent, persuadent, ut traduci, se in Locros paterentur, nec ultima experiri vellent. Causa, cur his duobus in locis neque et nec non neu sive neve positum sit, quaerenda nobis videtur in enunciatione, quae antecedit, affirmativa. — Cum autem — Liv. II, 32, 10, conspirasse inde (reliquas partes indignatas) ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent — et Cornel. Nep. Paus. IV, 5. Tanto magis Pausanias orare coepit, ne enuntiaret, nec se, meritum de illo optime, proderet — quibus in locis imperativus negativus cum ne conjunctus praecedit, nec particulam eodem significationis sensu positam inveniamus: id per solam negligentium factum esse non possumus non putare. Ceteri, quorum † idem mentionem fecit, plane conveniunt permultis a nobis allatis Liv. XXIII, 3, 3: Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec quidquam raptim, aut forte temere egeritis — auch muß ihr in keiner Beziehung zu rasch, noch auf's Gerathewohl ohne Ueberlegung

handeln. Lib. XXI, 43, 10. Hic vobis terminum laborum fortuna dedit: hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec, quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaritis victoriam fore. — Auch müßet ihr nicht glauben, daß der Sieg so schwer sein werde, als das Gerücht den Krieg bedeutend macht. Ciceron, ep. I, 9, 19. Cur autem laudari, peto a te, ut id a me neve in hoc reo neve in aliis requiras, ne tibi ego idem reponam, quum veneris: tametsi possum vel absentem; recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miseris. Nec hoc pertimueris: nam a me ipso laudantur et laudantur iidem. — Auch brauchst Du dieß nicht zu fürchten.

Ex hisce hucusque allatis exemplis discimus haec:

1) Cum imperativus, quo quid facere jubemur, alterum praecessit quo vetamur (brevitatis causa hunc negativum, illum affirmativum vocare nobis placuit), scribitur nec particula. Singulis in locis, veluti apud Ovidium passim occurrunt, in quibus hanc legem non observatam invenimus, id ex sola negligentia ortum explicare posse nobis videtur. Locos illos insignificavimus ita: ††.

2) In quibusdam non et nec particulae non sunt totius enunciationis, sive quod idem est, verbi, cum hoc totius enunciationis sustineat vim, sed singularum in oratione partium; non enim re vera vetant ibi, sed tam proxime sunt cum aliquo vocabulo juncta, ut unius compositae instar sint vocis. Hisce notam adposuimus hanc: †.

3) Si quando imperativum cum ne particula junctum nec sequitur cum eodem modo, huic in particulis varietati subest sensus aliqua varietas.